Dissertatio Academica,

Sistens cogitationes

De

Origine & Propagatione Litterarum;

Cujus

Partem Priorem,

Consens. Ampl. Fac. Philos. in Reg. Acad. Aboënsi,

Præside

Mag. HENRICO GABRIELE PORTHAN,

Eloqu. Professore Reg. & Ord. Reg. Acad. Litt. Human. Hist. & Antiquitt. Membro,

Publico Examini modeste submittit

SAMUEL WILHELMUS HEURLIN,

Stip. Reg. Viburgensis,

In Auditorio Majori die XX Junii A. MDCCXCIV,

H. A. M. S.

ABOÆ TYPIS FRENCKELLIANIS.

VIRO *Admodum Reverendo atque Præclariſſimo*

D:no Mag. SAMUELI NICOLAO HEURLIN,

Eccleſiarum in Jämſä, Korpilax & Petäjäveſi Paſtori & Præpoſito,

Patri Indulgentiſſimo.

Interr maxima ſimulque jucundiſſima mortalium officia, merito habetur, benefacta ſibi exhibita grata mente agnoſcere. Quanta igitur voluptate animi, opportunitatem jam oblatam arripiam, in Te, ſumme benefactor, rerumque mearum præſidium dulciſſimum, publice pietatem declarandi immortalem, Paternus Tuus animus haud neſcit. In cujus pietatis teſſeram, Nomini Tuo amantiſſimo jure meritiſſimo conſecratas has pagellas, ſerena, qua ſoles, fronte excipias rogo, atque ex tenerrimo Tuo affectu ſenſus mei æſtum metiaris, quo calens, ad cineres usque permanebo

Patris Indulgentiſſimi

Filius obſequentiſſimus
SAM. WILH. HEURLIN.

§. I.

Cum indolem atque vires egregias ingenii humani conſideramus, ita eſſe comparatas reperimus, ut ex ſeſe inventa artesque varias gignere, ex ignorantiæ atque barbariei tenebris ſenſim emergere, cognitionem ſuam gradatim augere, atque in ſtatum cultiorem clariorique indies luce effulgentem magis magisque properare, feliciter & poſſe & debere videatur. Hiſtoriam vero atque memoriam rerum cum conſulimus, aliam fere nobis ſuggeri ſententiam, minusque lætam de conditione humani generis ſpem objici, exiſtimes. Quot reperiuntur gentes, ſpiſſa, per plurima ſecula, circumfuſæ caligine, quam dispellere adeo non conatæ ſunt, ut potius majori ipſæ majorique ſeſe involverint, auctisque eam quaſi præſidiis munierint! Quanto niſu multi populi, radiis lucis aliunde affulgentibus, non modo oculos claudere, ſed auctoribus quoque ejus & allatoribus ſeſe opponere, eosque vehementer repellere, ſtuduerunt! Cœli incle-

mentia, ſterilitias ſoli rerumque ad vitam tolerandam neceſſariarum penuria, ſuperſtitionis vis, infelix imperii conſtitutio, pluresque aliæ cauſſæ, fere inſuperabilia multis locis progreſſui culturæ atque lucis obſtacula oppoſuerunt opponuntque. Unde non niſi exigua orbis pars luce literarum ſcientiarumque colluſtrata fuit, vel hodieque colluſtratur; cujus porro lucis ſi quaſi veſtigia atque viam qua progreſſa eſt & ſeſe propagavit, perſequi inſtituamus, ad communem fere ortum, & tanquam unum quendam fontem, unde primitus effluxerit atque diffuſa ſit, regrediendo deducimur: quæ res, externæ potius cuidam virtuti ac ſubſidiis, quam inſitis & domeſticis ingenii humani viribus, omnem hanc laudem atque felicitatem deberi, ſuſpicandi præbere materiam, non plane abſurdam, videatur? Hoc ſaltim agnoſcendum, faventibus haud paucis opus eſſe externis circumſtantiis, in unum quaſi conſpirantibus, ut gens aliqua non modo ipſa per ſe luci excitandæ literisque colendis operam navet, ſed iis vel aliunde oblatis docilem benignumque præbeat animum. Unde Providentiæ benignitatisque Divinæ haud obſcuram levemque opem in eximio hoc laudis felicitatisque humanæ ſubſidio fovendo adjuvandoque ſeſe prodidiſſe, grate pieque mortales confiteri oportet. Cui rei illuſtrandæ confirmandæque, cum illa quam tetigimus, Hiſtoriæ ope inſtituta hujus argumenti perluſtratio atque conſideratio non parum inſerviat; hanc ſuſcipere operam, nobis, ſpe-

ſpecimen aliquod navatæ literis induſtriæ edituris haud inconſultum viſum fuit: in quo conſilio perſequendo, ad Literarum ſtrictius ſic dictarum, ſive Artis Scribendi, cum initia tum progreſſus, mentem primo advertere neceſſe erit; quod illud inventum, artium atque ſcientiarum cultui viam ita ſtravit ſternitque, ut ſine illo hæ neque ad florem perduci neque commode propagari, illoque manco adhuc & rudi manente, hæ etiam non niſi in cunis vagire valeant. Locupletem obſervationum, experientiarum & idearum penum, ſine Literarum inſtrumento difficillimum erit diu conſervare; illarum vero ſeriem connectere & condere, idearum diſtinctarum, abſtractarum & univerſalium copiam colligere & ordinare, demonſtrationum nexum conformare & perluſtrare, Syſtematis compagem fabricare atque ornare, hæc denique omnia mente complecti tranquilla, attenta & perſpicaci: quomodo ſine Literarum adjumento licebit? Quomodo hæ copiæ horumque moliminum fructus aliis impertiri, & ad poſteritatis imprimis uſum transmitti & propagari poterunt? Niſi in iis igitur gentibus quæ Literarum & Scripturæ artem calluerunt, Scientiarum velle lumen & decus quærere, inanem foret vanamque operam conſumere. Illa contra ars, ubi ad uſum facilem, commodum atque communem deducta eſt, fieri non poteſt quin ad lucem cognitionis diffundendam ingeniaque hominum excitanda, excolenda & colluſtranda vehementer conferat, at-

que niſi, graviora quædam impedimenta obſtiterint, reliquarum literarum ſcientiarumque florem adjuvet atque acceleret. Cfr. Diodori Siculi *Bibliothecæ Hiſt.* L. XII, C. 13, Edit. Weſſeling. (Amſt. 1746, Fol.) p. 366 ſq.

§. II.

In illius autem initiis & primis incrementis inveſtigandis atque perſequendis, maximas atque innumeras occurſuras eſſe difficultates, facile eſt ad videndum. Literarum enim prima inventio adeo vetuſtæ eſt originis, ut cum omnia veſtigia deficere omnino incipiant, ad fontem usque earum regredi nullo jam pacto liceat. Quod eo minus videbitur mirum, ſi cogitamus quæſtionem de illius eſſe inventi ipſius origine, cujus ope reliquorum omnium memoria maxime nititur, & ante quod factum, nil niſi caligo omnia involvens, *tenebræ ſuper facie abyſſi*, menti inquirentis objicitur. Deinde ſcriptores antiqui, ad mortalium primos, hoc eſt valde rudes, informes & parum fructuoſos in re quacunque conatus, animum non adverterunt, quos ſcilicet ne homines quidem coævi ſua dignos attentione plerumque judicarunt: ac horum ipſorum Scriptorum quotus quisque jam ſupereſt? Qua hodie copia monumentorum fruimur antiquiſſimorum? Unde, ultra conjecturas, easque admodum incertas, atque concluſiones ex diſperſis hic & illic veſtigiis (valde plerumque tenuibus & cœcis) du-

ctas, hac in re præſtari aut exſpectari quidquam haud poteſt. Ad quam rem accedit, quod qui laborem induſtriamque huic argumento tractando conſecrarunt, metam perquiſitionis ſuæ certam conſtantemque non ſemper ſibi propoſuerunt, nec de quo quaſi gradu hujus inventi, ſenſim (ut reliqua omnia) progreſſi atque perfecti, præcipue ſermo eſſet, ante conſtituerunt: unde alius huic, alius illi ætati gentique hanc laudem vindicantes, pugnare tamen inter ſe exiſtimari inde non ſtatim debent. De primis ejus tentaminibus, rudimentis, & quaſi ſeminibus alii quid ſibi veriſimile videretur, ſignificarunt; alii adultiorem uſuique commodiorem jam artem animo complexi, ejus clara quaſi luce effulgentis epocham inveſtigare atque definire inſtituerunt: quas temporis metas ingenti dirimi intervallo, nemo credo non largietur. Unde paucis de utraque re ſigillatim eſſe nobis diſputandum videtur.

§. III.

Ac ad priorem quidem quod attinet hujus diſputationis partem, primos conatus *ſcribendi*, hoc eſt ſignis quibusdam manſuris materiæ cuicunque impreſſis, cogitationes ſuas ſignificandi atque cum abſentibus etiam & poſteris communicandi, tantæ eſſe antiquitatis, ut ad natales prope generis humani accedant, veriſimile videtur (a). Quamprimum enim

(a) Quo ſenſu paullo excuſabilius haberi poſſit effatum Plinii (*Nat. Hiſt.* L. VII, C. 57) *æternum* eſſe *litte-*

no loquelæ præditi homines ponuntur, cujus ope ſenſa ſua aliis impertire ſciant (b), tantum iis ſimul induſtriæ tribuere neceſſe eſt, ut quarundam rerum memoriam cum ipſi tutius conſervare ac facilius revocare (de fluxa ejus vi & fragili poteſtate per moleſtam

---

rarum uſum, nempe humano generi & mundo coævum, quem ab æterno fuiſſe ille putavit.

(b) Non modo Moſaicorum fide monumentorum ſcimus, ſed etiam ſi vel ſolis Philoſophiæ conjecturis probilioribus indulgeamus, judicare nos oportet, homines primos, adultæ ætatis vi præditos uſuque ſenſuum & mentis donatos, in mundi ſcenam fuiſſe productos: quod alioquin perituri mox fuiſſent, utpote talibus, qualibus cætera animalia, tamque certis & efficacibus inſtinctibus, non inſtructi. Ut taceamus, quam videri mirum debeat, ſi ab optimo & ſapientiſſimo Creatore quaſi incurioſe in terram abjectus homo fingatur, ac, præ cæteris animalibus, ſummo expoſitus mox pereundi periculo. Neque huic ſententiæ obſtat conſilium Numinis manifeſtum, ut mentem corpusque intendendo atque exercendo, agendo, laborando, dotes conceſſas perficiendo, mortales longius longiusque progredi, & augere cum vires tum felicitatem ſuam ſemper conarentur. Quocunque igitur reſpectu conſiderata veterum multorum populorum (Ægyptiorum, Æthiopum &c.) opinio, homines primum ex terra recente, ſolis accedente calore fœcunda tam, fungorum inſtar, ſive ex terræ ipſius vi, ſive ex indito ei ſemine, erupiſſe ſomniantium, (cfr. ex. gr. Diodori *Siculi* Lib. I, Cap.

leſtam experientiam mox edocti) cuperent, tum abſentibus (ſive loco ſive tempore) exhibere averent, ejusque rei attigendæ aliquam rationem mature reperirent: cujusmodi conſilii in hominibus etiam plane barbaris veſtigia occurrunt. Unde formis primum atque figuris rerum ſenſibilium rudiſſimo conatu imitandis, ad quam rationem natura ipſa quandam iis pronitatem tribuit (c), neceſſitati huic ſatisfacere, paullo excitatius aliquod atque ſagacius ingenium inſtituiſſe, veriſimile eſt: quod ſuo exemplo non modo Ægyptii, Sinenſes & Mexicani veteres, ſed etiam Canadenſes aliique barbari confirmant

9; & L. III, C. 2) inepta atque ridicula merito habetur: quam adoptantem ſuisque placitis, ex mente *Epicuri* explicatis, poëticæ artis ope accommodantem, non poſſis non ſvaviter ridere LUCRETIUM (*de rer. Nat.* L. V, v. 78 ſqq.), ut inſulſæ huic fabulæ ſpeciem conciliaret, luxuriantis ingenii copias, temere quodcunque ponendo, fingendo, ementiendo, infeliciter admodum prodigentem — Cfr REIMARI *Abhandl von den vornehmſten Wahrheiten der Natürl. Religion, II Abh.*

(c) Vid. GOGUET *von dem Urſprung der Geſetze, Künſte und Wiſſenſchaften*, I *Th. IV C.* init. Exemplo eſſe poteſt ſtudium barbarorum, figuris variis cuti impreſſis corpus ſuum ornandi: de quo cfr. ISELIN *über die Geſch. der Menſchheit*, I. *Band* II. *Buch, XII Hauptſt.* pag. 215 ſq. & quos ille citat hujus moris teſtes complures, cum veteres, tum recentiores.

mant (d). Quod genus Celeberrimus DENIS

(d) Vid. præter Auctores quos laudat GOGUET l. c. Cap. VI, de Sinenſibus DU HALDE, *Deſcript. de l'Empire de la Chine* T. II, p. 271 ſq. (Ed. Hag. 1736 4:to), qui ſcribit: "Dès le commencement de leur Monar-"chie, ils communiquoient leurs idées, en formant "*ſur le papier* (?) les images naturelles des choſes "qu'ils vouloient exprimer: ils peignoient, par exem-"ple, un oyſeau, des montagnes, des arbres, des "lignes ondoyantes, pour exprimer des oyſeaux, des "montagnes, une foret, & des rivieres."

De Mexicanis conſulatur ROBERTSON *Hiſt. of America* Vol. II, B. V, p. 247 ſq. (ed. Lond. 1788, 8:o, Vol. III, B. VII, p. 178 ſqq. & p. 384 ſqq. not. XXVI. Qui cum præclare imprimis totam hanc rem illuſtret, ſequentia attuliſſe verba juvabit: "They repreſent "things, not words. They exhibit images to the "eye, not ideas to the underſtanding. They may, "therefore, be conſidered as the earlieſt and moſt "imperfect eſſay of men in their progreſs towards "diſcovering the art of writing. The defects in this "mode of recording tranſactions, muſt have been "early felt. To paint every occurrence was, from "its nature, a very tedious operation; and as affairs "became more complicated, and events multiplied "in any ſociety, its annals muſt have ſwelled to an "enormous bulk. Beſides this, no objects could be "delineated but thoſe of ſenſe; the conceptions of "the mind had no corporeal form, and as long as "*picture-writing* could not convey an idea of theſe, "it muſt have been a very imperfect art. The neces-

NIS (e) a CLEMENTE *Alexandrino* (f) non inepte *ſcripturam* (picturæ fortaſſis potius annumerandam)

"ſity of improving it muſt have rouzed and ſharpe-"ned invention, and the human mind holding the "ſame courſe in the New World as in the Old, "might have advanced by the ſame ſucceſſive ſteps, "firſt, from an actual picture to the plain hierogly-"phic; next, to the allegorical ſymbol; then to the "arbitrary character; until, at length, an alphabet of "letters was diſcovered, capable of expreſſing all the "various combinations of ſound employed in ſpeech." De populis Americæ ſeptentrionalis idem docet CARVER *Voyage dans les parties interieures de l'Amerique Septentr.* II. P. Ch. XVII, cujus hæc apponere verba placet: "Quoique les Indiens ne puiſſent pas com-"muniquer leurs ideés par la voie de l'ecriture, ils ont ce-"pendant un moyen d'y ſuppléer, par certaines pein-"tures hieroglyphiques, qui ſervent jusq' à un cer-"tain point à transmettre la memoire d'un fait ou "d'un evenement extraordinaire. Ainſi lorqu' ils ſont "en courſes, s'ils ſont dans le deſein de former queſ-"que entrepriſe remarquable, ils depouillent de leurs "ecorce les arbres qui ſe trouvent ſur leurs chemins, "& peignent ſur le tronc certains ſignes pour infor-"mer leurs partis diſperſées de la route qu'ils doi-"vent prendre pour les rejoindre." Cfr. ROBERTSON l. c. Vol. III. p. 179, & quas ibi laudat auctores.

(e) *Einleitung in die Bücherkunde* I. Th. §. VI.

(f) *Stromat.* L. V: p. 555. (Edit. Pariſ. 1629 Folio; pag. 657. Edit. Oxon. 1715 F.).

vocari *Cyriologicam* obſervat, quamque neceſſitas ipſa commodiorem, (ne in infinitum tabularum ſive librorum moles increſceret), præcipuis tantum figurarum partibus compendioſo conſilio pingendis, reddere poſtea docuit. Sed cum ad res ſignificandas ſenſibus haud percipiendas, incorporeas, abſtractas, mere intellectuales, illam non ſufficere rationem, aucta ingenii humani cultura, mox appareret; ad ſigna *allegorica* confugere homines, aliorum mentibus illas exhibituri, neceſſe habuerunt: unde *ſcriptura ſymbolica* oririginem duxit (g). Utrumque hoc genus, materiæ duriori olim inſculptum, nomine *Hieroglyphicæ* (Græcis interpretibus) apud Ægyptios, quia ſibi ſolis uſum atque cognitionem ejus Sacerdotes reſervabant, vocari ſvevit. Neque vero hanc ſcribendi rationem aut in una tantum aliqua gente natam adhibitamque fuiſſe, aut nonniſi ad unam mundi ætatem pertinuiſſe, facile quisquam judicabit: quare etiam opera ad primum aliquem atque communem Hieroglyphicæ ſcripturæ fontem indagandum impenſa, inanis cenſeri omnis ac fruſtranea merito debet (h), nec alium illa diligentia habere uſum erit exiſti-

(g) Cfr. Goguet, Denis & Robertson l. l. c. c. Exempla exhibet Diodorus Sic. L. III, C. 4, Clemens *Alex.* l. c. p. 569, (Edit. Pariſ. anni 1629) & Horapollo in *Hieroglyphicis*. Cfr. etiam Pierii Valeriani *Hieroglyphica*.

(h) Mire itaque diſputat Cel. Wahl, *Allg. Geſch. der Litteratur* I Th. p. 63, qui poſtquam recte reprehen-

exiſtimanda, quam quod veſtigia perſequatur atque viam patefaciat, qua ad verarum Literarum inventionem ingenium humanum ſenſim quaſi contenderit, & progreſſa ſit.

§. IV.

Symbolica ſcribendi ratio varie apud varias gentes exculta atque adornata, quamvis progreſſum artis haud levem ingeniique humani conatum admirabilem prodat (a); ambiguitas tamen ejus & interpretationis difficultas ac dubitatio, aliaque adhærentia ei incommoda, homines ingenii acutioris feliciorisque ad aliam certiorem perfectioremque viam ingrediendam ſenſim impulit: unde primum nata fuit ſcriptura *Characteriſtica*, quæ ſignis per ſe arbitrariis, ſed quibus

diſſet Tacitum (Annal. L. VI, C. 4), *primos per figuras animalium Ægyptios ſenſus mentis effinxiſſe* dicentem, potius *Babyloniam* Hieroglyphorum fuiſſe patriam contendit; ac tamen eos etiam apud *Mexicanos*, *Canadenſes*, *Peruvianos* &c. in uſu fuiſſe, mox addit. Quaſi non ubique hoc conſilium hominibus exprimere potuiſſet neceſſitas, aut quaſi vere conſtet, ubi primi tales conatus ſint facti, undeque per orbem propagati?

(a) Unde Diodorus *Sic.* l. c. de his disputans ſcribit: *Dum in unoquoque ſignificationes abditas ſequuntur animosque diuturno ſtudio & memoriæ cultu excitatos intendunt, exacte ſingula figuris adumbrata legunt & intelligunt.*"

bus fixa aliqua atque perpetua ſignificatio additur, res atque ideas quascunque exprimit. Cujus generis hodieque eſt ſcriptura *Sinenſium* nonnullorumque aliorum populorum Orientalium (b). Negari nequit, hanc magnam utique præ Hieroglyphica illa, & obſcuriore & pauperiore, præſtantiam habere; ſed graviſſimis tamen ſimul premi incommodis, facile eſt ad intelligendum. Memoriæ enim, tot ſignorum millia quot ideæ hominum ſunt in-

(b) Ad hoc genus referri quoque debent Peruvianorum *Quipos* (ſive nodi filis varii coloris varie innexi); licet non niſi maxime rudia ejus tirocinia exhibere, lubenter fateamur. Vid. Robertson l. c. Vol. III, B. VII, p. 201. Quibus ſimili more adhuc uti incolas inſularum *Pelewianarum* diſcimus ex Henr. Wilsons (ſ. *Ge Keate's*) *Nachrichten von den Pelew Inſeln* (*Hamb.* 1789 8:o) Cap. 27, p. 449. Similem rationem *Canadenſium* etiam monilibus ineſſe, quæ vocant *Wampums*, ex Peregrinatorum colligitur narrationibus; de quibus ex. g. Carver l. c. C. 3. ſcribit: "Leurs Colliers "*de Wampums* conſervent la memoire de la ſubſtance des "traitées qui ont eté fait avec les nations voiſines "pendant des ſiecles en arriere; ils les rappellent, & "y renvoient avec autant de netteté & de promptitude, que les Européens peuvent le faire avec tous "leurs documens ecrits." In quibus tamen verbis hyperbolen ineſſe, facile apparet. Cæterum deſcribit hæc monilia eſſe: "des coquillages enfilés en forme "des colliers, qui ſe delivrent dans toutes les negociations avec eux, ou entr' eux, & qui ſervent à "en perpetuer la memoire."

indicandæ, complecti coactæ, moleſtiſſimum atque intolerandum plane imponit onus; atque ſoli legendi ſcribendique arti diſcendæ magnam impendere ætatis partem, homines cogit. Quod vel Sinenſium exemplum ſatis domonſtrat; apud quos *numerum Characterum 60000* in uſu eſſe ex *Semedo* docet FOURMONT *Meditat. Sinicar.* Cap. VI. Auget hunc numerum & rei ſimul difficultatem demonſtrat DU HALDE *Deſcript. de L'Empire de la Chine* Tom. II. p. 270 ſcribens: "Comme l'on compte jusq' à quatre-vingt mille de ces "caracteres, celui qui en ſçait le plus, eſt auſſi le "plus ſçavant, & peut lire & entendre un plus grand "nombre de livres: d'où l'on peut juger combien il "faut d'années, pour connoitre une multitude ſi pro"digieuſe de caracteres, pour les demeler quand ils "ſont reunis, & pour en retenir la figure & la ſigni"fication." Cæterum ratio ipſa ſuggerit, id quod eorundem Sinenſium abunde confirmat exemplum, ex genere *Hieroglyphico* ad hoc *Characteriſticum*, faciliorem ita factum fuiſſe transitum, ut ſigna primum *naturalia*, varie mutata, ſenſim abierint in *arbitraria*, atque aliis deinde, prout res exigeret, paullatim aucta fuerint, ac uſu commodiora reddita. Quam rem accurate explicat atque ex Sinenſium more illuſtrat quem laudavimus Dn. DU HALDE l. c. p. 272.